

calesceri opus esset propter infirmitatē. Habes itaque duo miseriae solatia cum labore & indigentia homini proposita, victū scilicet, & vestitum. Victum, vbi paulo antē dixit, in sudore vultus tui vesceris pane tuo: vestitū, vbi nunc dictū est, fecit quoq; dñs deus Adā & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. *De eo quod dictum est, ecce Adā quasi vnus ex nobis factus est.*

CAPVT XXVIII.

CAP. III. **I**Ta demum iam spiritualiter homine mor tuo, & corporaliter morituro, victus quoque pariter & vestitus indigente effectu, idē Dominus Deus exclamatur: Ecce Adā quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonū & malum. Ecce quod est ostendētis aduerbiū cū dicit Dominus Deus, magnum in præsenti fragorem incutit cunctis aures audiendi habentibus. Quid enim ostēdit? Adā, inquit, quasi vnus ex nobis factus est. In Adā (q̄ interpretatur terrenus) virum simul & mulierem intellige, quia viri pariter & mulieris commune nomen est, sicut iam dictum est.

Supra eod. cap. 26.

Quid est, quasi vnus ex nobis factus est? Quasi si Deus factus est. Eadem enim trinitas hic loquitur, quā & superius locuta est pluraliter ad semetipsam, dicendo: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrā. Eadem, inquam, trinitas hic ostendit, qualis Adā vitio suo factus sit, quā supra proposita fuerat, qualem illum facere voluerit. Dicit ergo, quasi vnus ex nobis. Nempe ex tribus personis trinitatis, vnus est pater, vnus est filius, vnus est spiritus sanctus. Et hi tres vnū quidem sunt, sed non vnus. Alius enim est pater, alius filius, alius spiritus sanctus. Adā ergo, inquit Dominus Deus) quasi vnus ex nobis factus est, vt iam non simus nos trinitas, sed quaternitas, quanquam non cū deo Deus, sed cōtra deum affectauerit esse deus. Grauisima hæc more Domini Dei & acerba nimis ironia est: Quis enim vel qualis Adā? Adā in anima iam mortuus, & corpore quoque in breui moriturus, indigens victū & necessario cooperatus atque cooperiendus vestitu. Sed enim quilibet ex nobis, siue pater, siue filius, siue spiritus sanctus, neque mortuus est, neque morietur, neque propter famem victū, neque propter turpitudinem aut frigus indiget vestitu. Ergo non verē, sed ironicē dictum aut dicendum est, quia hic talis quasi vnus ex nobis factus est. Et cur tali ironia irridendus est? Videlicet quia stultē & superbe fallacissimo diabolo credidit, dicenti: & eritis sicut dii. Ecce quomodo sicut Deus vel quasi vnus ex nobis factus est, quomodo sciens bonum & malū factus est. Non quomodo ipse sperauit, sed sic factum est istud, quomodo deceptor voluit. Nō sic scit bonū & malū, quomodo omnia prospiciēs deus, sed iam expertus bonum, sic nunc experitur & malum, quomodo non Deus. Hoc modo quasi affirmatiua enunciatione dictū, graui-

tate dicentis adiuuante, multo acerbius denegatum est, quā si negatiua dictione exclamasset, sic dicendo: Ecce Adā nequaquam vt sibi promissum fuerat, quasi vnus ex nobis factus est. Et quidem ille non solū nequaquam sicut Deus, sed penē factus erat sicut diabolus, sed accelerauit & præuenit miserator Dominus Deus, ne deo mortuus, sic immortalis permaneret homo, sicut diabolus.

De eo quod dictum est, videte, ne forte mittat manum suam & sumat etiam de ligno vitæ.

CAPVT XXIX.

NVnc ergo ne forte mittat manum suā, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat & viuat in æternum, emisit eum Dominus Deus de paradyso voluptatis, vt operetur terram de qua sumptus est. *Ecliptica, Sermo eccl̄pticus.* id est, defectiua locutione pro re & tempore scriptor in persona Dei vsus est, quem locutionis modum cū grauitas adiuuat pronūciantis, hoc ipsum in quo deficere videtur, valentius exprimit. Vbi enim dixit, nunc ergo ne forte mittat manum suam & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat & viuat in æternum, deficit quidem sermo, sed grauius deficit, & subaudiri prompti est, emittamus eum de paradyso voluptatis. Sequitur enim scriptor in sua persona, Vbi Dominus Deus deficit sermone, & continuō dicit. Emisit eū Dominus Deus de paradyso voluptatis. Ergo, inquit, quia quasi vnus ex nobis factus est, immō quia similitudinis nostræ gratia priuatus est, quia comedit & mortuus est, & exinde aperti sunt oculi eius, & cognouit quod nudus esset, iam nunc illum de hoc paradyso voluptatis emitti opus est, & illi expedit quia talis factus est, quem iam fatuitas & otium non iuuat. Vt quid hoc tantopere agendum est? Videlicet ne forte mittat manum suam & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & hoc facto talis, tam miser factus Adā, viuat in æternum. Quid enim si cū talis factus sit, viuat in æternum? Vtique nil nisi malum æternum, iam enim miser factus, si æternus quoque sit, quid nisi miseriam æternam habebit? Parcamus illi, ne hoc modo malē sit quasi vnus ex nobis, ne sicut quisque nostrum æternus est: æternus enim pater, æternus filius, æternus spiritus sanctus, sic & ille æternus sit, & ob hoc veracē se esse, rideat oculus neq; diaboli, qui dei similitudinem illi repromisit. Etenim malū quidem illi est temporale esse, sed pessimū esset æternū esse. Mala nimis & falsa est hæc similitudo Dei, multo melius illi est esse omnino dissimilem dei. Quomodo? Videlicet vt quia miser est, sit etiam temporalis. Hoc est esse omnino dissimilem dei, deus enim & æternus est, & felix, & est eius æterna felicitas, felix æternitas. Horum alterum, id est, felicitatem perdidit diabolus, æternitatem verō nō amisit, & est ei? æterna infelicitas, infelix æternitas.